

**05**

**A**

**1672**





ΘΕΟΣ! ΘΕΟΣ!  
EXERCITATIO PHILOLOGICA

48

*Ad*  
**Marc. VII. com. XI.**

Κορβάν, (ὁ ἐστὶ, δῶρον) ὁ εἶν ἐξ ἐμῶ ἀφελήθης.

*Quam*

*D. T. O. M. F.*

*in illustri Wittebergensium Academia,*

*P R A E S I D E*

*V I R O*

*Amplissimo atq; Excellentissimo*

*DN.*

**BALTHASARE STOLBERGIO,**

*Græcar. Literar. Professore Publico longè  
celeberrimo,*

*Domino Præceptore ac Patrono suo colendisimo,*

*P. P.*

**LUCAS Schröder / Gustrovio - Meck-  
leburgicus,**

**A U C T O R.**

*Ad d. Sept. XXII. hor. antem. M. DC. LXIX.*

*In Audit. Majori.*



*WITTEBERGÆ,*

*Literis MICHAELIS Wendt.*

SERENISSIMO CÆLSSIMOQVE  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DN. GUSTAVO  
ADOLPHO,  
DUCI MECLENBURGENSI, PRIN-  
CIPi VETUSTÆ GENTIS HENETÆ,  
SVERINI ET RACEBURGI, COMITI  
SVERINENSI, DOMINO PROVINCIA-  
RUM ROSTOCHII ET STAR-  
GARDIÆ,

PRINCIPI AC DOMINO MEO  
CLEMENTISSIMO

D. D.

QVI profundo mari originem suam debent fluvii, fontesque,  
perenni fluxu in mare tandem refluent. Idem ut in Celsissi-  
mum Tuum, Serenissime Princeps, fastigium accidere paterer,  
in signi Tuæ Munificentia factum est. Hæc enim uti se supra, quam  
credi potest, largius in me effudit, ita contineri non potuit, quin  
rivulum quendam, etsi liqvore originem suam non referentem,  
sed turbidè manantem spe tamè recuperandæ puritatis, remitte-  
ret. Accipe igitur, Domine Clementissime, quod Tuum est: gratiã  
verò Tuam, atque hunc beneficiorum fluxum, si mereo, fac mihi  
esse perpetuum. DEUS Serenissimam Celsitudinem Tuam cum  
Illustrissima Domo conservet felicissimè.



*Sereniss. T. Celsit.*  
Devotissimæ subjectionis cliens  
& alumnus

*Auct & Resp.*

05 A 1672



עֲמִי עֲשֵׂה

## PRÆFATIO.



**D**E Sirenibus, quas Poetæ fingunt, memoriae proditum est, eas mira cantus suavitate homines navigantes ita capere solitas, ut allectos in profundissimum somnum induxerint, inductos verò in mare dejecerint, ac necarint. Qv̄i avibus capiendis occupantur, non irruunt impetu facto in easdē, sed ubi dulci cantu eas demulserint, retia nil opinantibus ac securis injiciunt. Fallor? an idem ingenium, iidemque mores sunt eorum, qui

*novos simulato Numine ritus*

*fingunt.* Etenim insipientibus omnium temporum Historias, oppidò quàm patet, Hæreticorum hoc strategema fuisse, (edoctorum scilicet ab Avo suo, serpente illo antiquo,) cujus ope Ecclesiæ Christi se insinuare, ovesque Domino suo abducere sunt conati. Hoc pigmento usus est Arrius, blasphemus ille Divinitatis Christi impugnator. Cum enim verbis gestibusque præ se ferret animum sincerum, ac fallere nescium, tot miseras fefellit animas, errorumque suorum veneno imbuit. Unde de illo Epiphanius: *Figmentum erat veluti serpens dolosus, quo omne decipere posset innocens cor.* Manichæorum tanta cum severitate ac vitæ sanctimoniâ conjuncta fuit astutia, ut hinc multos, ac se etiam deceptum, in castra eorum descendisse, confiteatur Augustinus Confess. lib. 6, c. 1. Nostri nunc quidem instituti non est, ad Hæresiarcharum omnium mores descendere: simulationis tamen, fraudis ac astutiæ omnis quasi compendium exhibere videntur Pharisei, tum nostrorum temporum, tum præcipuè, qui Christo in his terris versante, Hierosolymis vivebant. Si qui enim alii, hi certè miri fuerunt artifices obumbranda sub religionis ac de-

voluntate praecepta. Nemp̄ illi cultum di-  
vinum externis gestibus metiebantur, de interno corde parùm solli-  
citi. Atq̄ve ad eum tantùm divino mandato se obligari profiteban-  
tur. Ea enim fini duplicem legem, שבכתב, scriptam alteram, al-  
teram vero שבעל פה, oralem seu oretenus traditam erant com-  
menti; priori S. Scripturam, posteriori ἡ ἀδοσείς sapientum &  
glossata sua designantes, uti habent Josephus Antiq. Jud. l. 13. c. 18.  
B. Dilherrus Ecl. S. p. 260. Excell. Dn. Pfeifferus fasc. diss. diss. 4.  
p. 42. & alii. Hæc Lex, quam vocant oralem, & scriptis deinde  
consignata est, (consignari autem cœpit A. C. 150. ac ad finem perdu-  
cta A. 219. teste Hottingero Hist. Eccl. p. 1. p. 72.) præceptumq̄ve, ut  
non tantùm pari veneratione cum S. Scriptura reciperetur, sed &  
pluris æstimari cœpit, usq̄ve adeo, ut SSam תורה corpori, Traditio-  
nes verò suas משמרה animæ comparare non erubescerent. (Vid.  
omnino Cl. Buxtorff. Syn. Jud. cap. 3.) Servator autem noster non  
uno in loco dicam ipsis scripsit gravissimam, atq̄ve in illas Παρὰ δό-  
σεις τῶν Πρεσβυτέρων invec̄tus est quàm acerrimè, quibus verum le-  
gis scriptæ sensum miris hæctenus modis torserant, & tantùm non  
funditus everterant. Imprimis non toleranda erat illa traditio, quã  
filiorum opes sub prætextu religionis, ac muneris Deo offerendi, ad  
se trahebant, etiam in injuriam parentum, quibus tamen non modò  
reverentiam & honores, sed & officium honestè alendi senes Deca-  
logus seu lex scripta imponebat. Unde & hoc nomine ex plurimorum  
sententia, (de quã infra agemus) tristissima illis à Christo litera data  
legitur Matth. XV. 3. 4. 5 & Marc. VII. 8. 9. 10. 11. Locus verò ille  
qui Pharisaicam hanc ἡ ἀδοσείν continere creditur, obscurus dif-  
ficilisq̄ve ab Interpretibus habitus semper est, quos admodum excru-  
ciavit, inq̄ve diversas & disidentes distraxit sententias, quæ totidem  
fermè reperiuntur, quot in eo enucleando laboraverunt Viri doctis-  
simi. Tres scilicet recenset Johann. Camero in Myrothec. Evang.  
p. 19. Quatuor B. Danhauerus disp. pecul. de voto Jephthæ §. 20.  
Quinque Jesuita Menochius lib. 3. de Rep. Ebr. c. XV. qv. 5. col. 319.  
Alii alias addunt, quas recensere hic supervacaneum arbitramur, re-  
mittentes B. Lectorem ad Jesuitam Maldonatum Comment. in Matth.  
& infra quoq̄ve nobis easdem enarrandi dabitur occasio. Quæ  
cum ita sint, operæ pretium visum est, omnium horum sententias  
præ-

præsenti dissertatione aliquanto accuratius ad examen revocare, & quàm quæque cum textu Evangelico conveniat, aut ab eodem discrepet, paucis ostendere. Tu verò, ô Deus

Huc ades, & nostris feliciter annue cœptis.

*Marc. VII. 11.*

ὑμεῖς δὲ λέγετε, εἰάν τις εἴπῃ τῷ πατρί, ἢ τῇ μητρὶ κορβάν, (ὃ εἶσι, δῶρον) ὃ εἰάν τις ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῆς.

*Matth. XV. 5.*

ὑμεῖς δὲ λέγετε, ὅς ἂν εἴπῃ τῷ πατρί, ἢ τῇ μητρὶ, Δῶρον, ὃ εἰάν τις ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῆς.

*Versio Vulgata.*

Vos autem dicitis, Si dixerit homo patri aut matri; Corban, (quod est donum) quodcumque ex me, tibi profuerit.

*Versio Erasmi.*

Vos autem dicitis, Si dixerit homo patri aut matri, Corban, (quod est donum,) quodcumque ex me, in tuum cedet commodum.

*Beza.*

Vos autem dicitis, Si dixerit quispiam patri vel matri, Corban, (id est, Donum) est, quocumque à me juvari posses: insons erit.

## C A P. I.

*Oratio Christi integra an defectiva, dubium. Diversa explicatio.*

*Non idem ὅς ἂν, ἔ κας ὁ ἂν. Sententia Maldonati. Vulgatus à Pelargo expositus. Valle interpretatio. Ellipsis verbi εἶσι apud Græcos frequens. Sententia Scaligeri. Non Pharisæica formula, sed oratio tota defectiva est. Supplementum Bezae & Maldonati. Aliorum versiones examinantur. Distinctio verborum. Maldonatus refellitur. Usus particulae ἐν, ἐν ἐν. Altera è Menochio adducta interpretatio. Κορβάν quid? Expositio tertia è Menochio, quarta & quinta. Iudicium de iisdem. Adduntur due aliæ expositiones ex Hieronymo à Maldonato. Sepulveda refellitur. Dicere an maledicere? Psal. LXX. 10. exponitur.*

§. I.

**A**C initio quidem omnes omnium sententiæ ad duas quasi classes commodè referri posse videntur; siquidem alii versiculi præsentis orationem integram ac perfectam, adeoque sine Elli-

A 3

psi

pli esse affirmant; alii è contrario integram negantes, ellipticam lo-  
quendi rationem propugnant.

§. 2. Qui ellipsin hoc in loco admittere nolunt, nec dum eodem  
modo illum explicant. Matthæi enim verba ita vertunt: *Quilibet  
dicere potest: Munus quodcumq; ex me, tibi proderit.* Quo sensu τὸ  
ὅς ἂν εἶπῃ, idem valebit, ac si scriptum, ἕκαστος ὅς ἂν εἶπῃ. Alii verò  
apud Gualtperium Syllog. voc. exoter. & Althoferum Harm. Evang.  
in h. l. hunc in modum sequentem annectunt versiculum: *Qui dixerit  
patri aut matri suæ, Quodcumq; donum ex me fuerit oblatum Domino,  
eo iuvaberis, vel percipies utilitatem ejus:* nequaquam etiam tenebi-  
tur amplius aliquid honoris exhibere patri suo aut matri suæ, q. di-  
ca t; is legi Dei fecerit satis.

§. 3. Utraque tamen sententia eò pauciores nacta est patronos,  
quò infirmioribus nititur fundamentis. Quod enim ad primam at-  
tinet, τὸ, ὅς ἂν εἶπῃ per *Quilibet dicere potest*, vertentium, id fortas-  
se sine exemplo est, cum τὸ, ὅς ἂν, pro ἕκαστος ὅς ἂν poni nunquam con-  
sueverit, nec particula ἂν hoc loco sit affirmativa, sed tantū δυνατικόν  
μέρος, seu potentialis particula, quæ τὰ μὴ γεγονότα τῶν πραγμάτων  
ἀναρῆν θέλει, περιρῶν αὐτὰ εἰς τὸ δύνασθαι, solet tollere res nō factas,  
& declarare tamen, eas fieri potuisse, ut loquitur Apollonius Alexan-  
drinus de Syntax. Lib. III. fol. 205. n. 10. Accedit huc, quod manife-  
stò subvertat hanc interpretationem textus Marci, ubi exsertis verbis  
dicitur, εἰ ἂν εἶπῃ ἄνθρωπος, si quis dixerit. Num verò & hoc in lo-  
co, εἰ ἂν ἄνθρωπος εἶπῃ, idem erit, ac ἕκαστος ὅς ἂν εἶπῃ; Deinde tex-  
tus malè distingvitur, dum comma inferitur post verba, ἐξ ἐμῶ: quod  
& apud Gualtperium videre licet. Quo de infra. Sed nec in cæteris  
convenit versio altera cum verbis Evangelistæ, quæ δῶρον, ὃ εἰ ἂν ἐξ  
ἐμῶ ὠφελήθῃς, vertit, *Quodcumq; donum ex me oblatum fuerit Do-  
mino, eo iuvaberis.* Dicendum enim, ὃ εἰ ἂν δῶρον ἐξ ἐμῶ, τέτρω ὠφε-  
ληθῆσῃ, vel Atticè, τῶ ὠφελήθῃσῃ. Sicut apud Aristot. 8. Ethic.  
ὠφελῆμαι τὰ χρήματα, pecuniâ iuvor, in pecunia accipio utilitatem.  
Vel etiam, δῶρον, ὃ εἰ ἂν ἐξ ἐμῶ, ὠφελήθῃσῃ. Aut denique activè, σὲ  
ὠφελήσῃ, vel σοι. Nam & Dativ. habet apud Dioscor. & Aristot. in  
Rhetor. Quamquam verò versic. 6. Matth. XV. cum præcedenti 5. hoc  
modo & sine ellipsi possit conjungi, non tamen idem fieri potest in  
Marco, ubi sequitur: *Et non permittitis ei amplius quidquam facere. &c.*

§. 4. Sub-



§. 4. Subodorati ergo alii hujus explanationis difficultatem, Ellipticam esse hanc Servatoris nostri orationem agnoverunt non in-  
viti, de supplendâ tamen eâ nimium quantum laborarunt. Scilicet  
hic à singulis in alia omnia itum est, quamque hic affert explicatio-  
nem, ille rejicit, ab alio iterum censuram passus.

§. 5. Quæ primo loco apud Menochium recensetur sententia,  
his exponitur verbis: *Quodcumq; Deo obtulero, illud etiam Tibi pro-*  
*derit, in illius communionem venies, illo contentus esto.* Subjiciuntur  
mox hæc: *Solebant enim, qui sacrificium aliquod Deo offerebant, nisi*  
*holocaustum esset, illius victimæ partes auferre, quas absumerent. Sa-*  
*tis ergo esse docebant Pharisei, si filii pauperibus parentibus partem ali-*  
*quam mactatæ victimæ permitterent, quâ suam inopiam sublevarent,*  
*etiamsi aliis eorundem necessitatibus non prospicerent.* Atque hanc  
esse Strabi, Hugonis, & Lyrani opinionem, docet nos Maldonatus,  
quam & ipse probat, dum vel meliorem inveniat, vel aliorum melius  
intelligat. Ita verò declarat: *Munus, quodcumq; ex me, (proficisce-*  
*tur, i.e. quodcumque obtulero Deo,) Tibi proderit, (perinde ac si Tibi*  
*dedissem. Præstat ergo Deo offerre, quam Tibi dare.)* Duplicem  
igitur hujus sententiæ patroni statuunt defectum, duplici ratione sup-  
plendum. Nam & ad τὸ *Quicumq; dixerit, aliquid subaudiendum,*  
& quidem secundum Maldonatum, *culpa vacabit, innocens erit, præ-*  
*cepto de honorandis parentibus satisfaciet:* & in medio dicti, ubi Vul-  
gatus τὸ *Est* addidit, ipsi malunt inferere, *proficiscetur.* Atque hoc  
sensu Vulgatum Interpretem exponit Pelargus: *Donum quodcum-*  
*que à me erit, h.e. quicquid donarii obtulero in templo, tibi prode-*  
*rit, tibi omnium Patrem Deum reddet propitium, meque immunem*  
*ab iis, quæ tibi debentur, officiis præstabit.* quæst. & respons. in Matth.  
p. 156. Sed quibus cum Valla faciat, quando Vulgatum corrigit, non  
adeò est manifestum. Ubi enim Vulgatam Versionem adduxit, hæc  
deinde subjungit. *Græcè non legitur verbum substantivum EST, ideòq;*  
*obscura sententia: nec, Tibi proderit, sed, Tu, ut sic dicam, commoda-*  
*ris. Jam ergo sic transferri posse ait: Dono quocumq; ex me tu commo-*  
*dum capies, & non honoraverit &c. Sive, Dono, quodcumq; ex me erit,*  
ut verbum Substantivum sit ejusdem temporis, cujus est conjunctum.  
Hæc Valla. Defectus verbi Substantivi *Est* non potest sententiam  
reddere obscuram, cum maximè sit ex usu hujus lingvæ; quod &  
doctiss.

doctis. Wolffius Observat. Tom. VI. in Demosth. p. 17. Deinde, ὡφελήθη non est idem ac, *Tu commodaris, aut commodum capies.* Si tamen altera ejus Versio servetur, *Dono, quodcumq; ex me erit, tu commodum capies,* idem sensisse videtur cum Maldonato. Cæterum cum præcedentibus in sensu conspirare Summum Virum Jos. Scaligerum, Elench. tri hæres. c. 9. testis est Camero, qui hanc ejus adducit expositionem: *Donum, quod à me profectum est, tibiq; prodest, me absolvit jure, quod in me habes.* Serratum addit Casp. Bertramus Matth. enucl.

§. 6. Verùm enim verò, quo minus in horum sententiam concedamus, non pauca rationum momenta nos impediunt. Nam etsi supplemento orationis defectivæ opus hic esse largiamur faciles, & idem urgeat potissimum locus Marci; non potest tamen probari nobis Scaliger, qui ait, Vulgatum esse, ut quum de formulis citandis agitur, citentur ita, ut sint intercisæ, vel ut latinè, *Et cætera.* Probatque inde formulam esse, quod inter offerendum offerentem conceptis verbis uti oportuit, nempe his: קרבן הריני יתנן לי ורי לוי  
*Oblatio ista profit mibi & meis.* Etenim non formula Pharisaica, quæ hæc ab Evangelistis recensetur: Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὡφελήθη, *Donum est, quocumq; ex me juvari possis,* defectiva est: sed oratio hæc complexè sumpta: Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri vel matri, Corban, (quod est donum,) quocumque ex me juvari possis. Et non permittitis &c. Hic aliquid addendum, quod respondeat τῷ *Quicumque dixerit, &c.* ut intelligatur, quid de eo, qui formulâ ista contra parentes utitur, sit habendum ac statuendum. Quare & Camero refutat Scaligerum cum suo supplemento, negatque hunc esse Scripturæ morem, ut formulas & proverbia &c. concisè proponat. Equidem & Beza quædam addit ad explendam sententiam, aitque Christum procul dubiò ipsa traditionis verba recitasse: *in hujusmodi autem citandis testimoniis solent prætermitti, quæ sunt omnibus nota, ut contenti sunt Jurisconsulti, prima ipsa legum, quas vocant, verba proferre, aut earum particulam, auditore vel lectore ad totas illas inspiciendas ablegato.* Sed ista pro nobis faciunt, nec cum Scaligeri sententia quidquam habent commune. Expletur itaque ac plenius proponitur ipsa traditio & doctrina pharisæorum, non autem formula, qua filii utebantur, sic à Pharisæis edocti. Quod manifestum est ex ipso supplemento

plemento. Addit Beza, ἀναίτιος ἔσται: insons erit. Id quod referendum ad verba Pharisaeorum: Qui dixerit patri vel matri hæc verba: Donum &c. Insons erit. Eodemque modo Maldonatus: quem ideò haud reprehendimus. Sed infra de his denuò.

§. 7. Cæterùm nec Versiones reliquorum verborum Vulgati, Erasmi, Maldonati, Scaligeri cum verbis Græcis conveniunt, quas in Erasmo refellit omnes Beza; idemque ex parte factum est à nobis supra §. 5. Primò quidem omnes comma ponunt post εἰς. Fatemur, vulgò in libris editis sic distingvi textum; at infra probabimus malè factum. Ponendum comma post δῶρον, cætera verba cohærent omnia; sicuti idem rectè observatum in editione Complutensi & Plantiniana. Ut propterea nihil in medio sit supplendum. Deinde ὡφελήσῃς nec reddi potest, in tuum vertitur commodum, aut, in tuum cedet commodum, aut Tibi proderit, cum sit modus potentialis; veluti & Grotius monuit. Longius adhuc à Græcis recedit Scaliger, atque Erasmus traiectione usus videtur, quasi fuisset scriptum, ὃ ἐὰν δῶρον. Non igitur videmus, qua fronte Jes. Maldonatus cum sua interpretatione & sententiam omnem & verba omnia convenire, audeat gloriari. Neque enim ipsum juvat locus Marci, ex quo suam confirmari sententiam clamitat: καὶ ἔστι ἀφῆκε αὐτὸν ἰδὲν ποιῆσαι τῷ πατρὶ αὐτῶ, καὶ τῇ μητρὶ αὐτῶ. Quibus verbis apertè ille quidem indicari ait, cum dictum antè esset. *Munus quodcumque, ex me tibi proderit*, filium aliquid fecisse patri, aut se facturum promississe; tantùm verò abesse, ut per ea verba juraverit, nihil se patri aut matri boni facturum. Jubet igitur filius, interprete Maldonato, ex Scribarum & Pharisaeorum traditione, Patrem esse contentum, ut pro se & illo offerat sacrificium, & nihil amplius requirat. Scilicet argumentum sumit à particula ἐπι, *adhuc, amplius, insuper*. Satis est dixisse patri & matri, δῶρον &c. Præterea autem nihil tenentur parentibus præstare liberi. Prius tamen quidquam præstitisse videntur. Sed leve est, nulliusque ponderis. Nam & aliàs particula ἐπι abundat, tum verò in compositò ἔστι aliquoties. Prius docet Grotius ad Luc. I. p. 604. & doctiss. Wolffius in Evagor. Iso-cratis p. 559. De posteriori prolixè agit B. Glassius lib. III. Philol. Sacr. tract. V. c. XI. p. 450. seq. qui hanc ponit regulam: *Adverbium temporis continuativum negans ὅχι ἐπι, ἔστι, μή ἐστι, non amplius, quan-*

B

quan-

quoniam, q. nullum respectum habet, sed simpliciter  
pro negativo NON ponitur. Exempla ex Sacris literis ibidem vide-  
antur. Eodem modo profani. Hesiod. διδυμῶν γεγάτο παῖδες,  
ὅν ἐβ' οὐκ ὄργεοντα, geminos peperit, non eodem  
animo præditos. Ut proinde γὰρ ἐστὶ ἄδεν, (ex vi scilicet duarum ne-  
gationum,) planè ac prorsus nihil notet. Ut ut autem hæc ita se ha-  
beant, nihilo tamen minus Maldonato pollicem premit Jansenius  
Concord. Evang. c. 6. p. 469. idemqve argumentum urget, nullis ta-  
men novis additis rationibus.

§. 8. Secunda apud Menochium sententia hæc est: *Quicquid ex  
me tibi proderit, munus est, i. e. si aliqua re te juvero, beneficentia mea  
acceptum refer; nam tanquam munus potius do, quam tanquam debi-  
tum obsequium, quod non agnosco, tibi reddo.*

§. 9. Sed nec hæc ullum applausum meretur. Primò enim ob-  
stare videtur usus vocabuli νοεβᾶν, quod non significat quodvis δῶ-  
ρον sive donum, sed id, quod Deo sacratur, sive rem Judæis sacratis-  
simam, Deo devotam, quam nemini fas erat in usum suum convertere,  
docente Ludovico Cappello in Diatrib, p. 144. Quod ex plurimis  
Scripturæ locis confirmatur. Atque hinc est, quod veterum qui-  
dam hunc locum citantes, non δῶρον nudè, sed δῶρον τῷ θεῷ ponant,  
teste H. Grotio ad h. l. Deinde vix dici posset, quod Pharisei ista ra-  
tione funditus evertissent præceptum quartum, (quod innuitur,  
quando vers. seqv. legimus, καὶ ἠνερώσατε, quod propriè significat,  
abrogare, auctoritate privare & irritum facere, quod aliquando fue-  
rat comprobatum. Hinc Syrus habet וַבְּטִלְתֶּם, & cessare fecistis  
sermonem Dei, & B. Luth. und habt Gottes Wort auffgehoben/) quum  
tamen illi non prohibuissent, quo minus parentibus benefacerent li-  
beri, & quanquam filiis persvadebant, se officio & pietate non tene-  
ri, ut parentum egenorum inopiæ succurrerent, admittebant tamen,  
si, quod non debebant, doni ac muneris loco facerent. Si tamen to-  
tum contextum tum in Matthæo, tum in Marco consulimus, ad ocu-  
lum patet, vel ex duplici negatione ab utroque adhibita, ab hoc qui-  
dem γὰρ ἐστὶ ἄδεν, ab illo verò ἄ μὴ, Phariseos hac sua lege præcepis-  
se, ne quidquam benefacerent parentibus, sive id se facere putarent  
ex debito sive ex dono.

§. 10. *Quam tertio loco affert expositionem Menochius, infra  
sumus*

fumus exposituri. Quartam idem tribuit Augustino, quam & Maldonatus adducit é lib. i. qq. Evangel. c. 16. his verbis: *Quicumque dixerit, id est, dicere poterit, patri suo, Munus, quodcumque est ex me, i. e. quod pro me Deo offerre consuevisti, tibi proficit, i. e. tibi habe, pro te offer, non pro me; ego jam etatem habeo, ut, cum voluerim, pro me ipso offeram.* Hujus sententiæ uti fundamentum, cui superstructa videtur, nullum est, ita ipsa quoque non uno nomine vacillat. Dum enim particulam *ἐξ* per *pro* exponunt, tantum non omnem Græcitatem evertunt, cum h. l. nihil aliud notet, quam causam efficientem, more Scripturæ, uti Auctor est B. Althöferus Harmon. ad h. l. probatque idem exemplis adductis é Joh. VI 65. Matth. I. 20. Rom. XI. 36. 1. Cor. X. 4. Addimus id ipsum fieri etiam more scriptorum profanorum. Innumera propemodum exempla unus suppeditat Herodotus. Nos tria solum afferemus. *Τὸ μὴ δέειν ἐκ τῆς ἀνδρείας*, pro *ἰσχύος τῆς ἀνδρείας*, ait Æmilius Portus, quod à viro factum erat, p. 3. l. 31. & *τὸ ἀποστρέφειν ἐκ τῆς νύκτος*, quod à Cyro fuerat imperatum; p. 31. l. 4. & *τὸ ἐπιγεμῆναι ἐξ ὀπίσθου*, pro *ἰσχύος*, p. 121. l. 7. Sed & distinctionem illam supra à nobis rejectam admisisse, satis produnt. Accedit, quod, vel ipso Maldonato iudice, coacta admodum sit, nec cum verbis Servatoris conveniat. Quid? quod si conveniret, ad rem non esset vel intentionem Christi, qui redarguens Phariseos probatæ impio conatu *ἀσχετίας*, secus, quam lex scripta docuerat, frustra fortassis provocasset ad hanc Phariseorum doctrinam, quæ parentum pro filiis oblationes prohibebant.

§. 11. Pergimus ad quintam, quæ à Maldonato & Menochio affertur expositio, & Hugonis esse ab hoc asseritur. Illa verò interrogativè proponitur h. in m. *An tibi proderit munus, quodcumque ex me, i. e. quæ ego Deo temploque seposui, & dicavi, tibi putas, proderunt? Nequaquam; oberunt potius. Nam quæ Dei sunt, sacrilegium sit ad alios usus convertere.* Sed huic Maldonatus ipse, utut antè dixerat, non malè eam convenire cum verbis Christi, duo opponit, quibus contra se ipse eandem malè omninò convenire, evincit. Nam interrogatio uti in nullis codicibus legitur; ita nec videtur vero admodum simile, scribas & Phariseos per interrogationem præcepta sua tradidisse.

§. 12. Ac tot quidem diversas sententias collegit Menochius, quibus aliæ aliorum expositiones possunt addi. Duas ex Hierony-

mo adducit Maldonatus. Prima hæc est: Vos autem dicitis: Quicumque voluerit, quod parentibus daturus est, Deo offerre, immunus erit. Altera: Quicquid Deo oblaturus eram, in tuos, o Pater, cibos consumo. De priori cap. secundo acturi sumus. Posteriores & Beda sequitur. Ast tantum abest, ut ullo modo cum Servatoris verbis conveniat, ut potius iisdem planè adversetur. Disputat nimirum Christus contra Phariseos, eosque eversæ legis quartæ accusat, dum sub prætextu Religionis, ac Deum honorandi filios docuerant, Parentes negligere, eorumque in senectute constitutorum curam abjicere. Ast hæc sententia eosdem non modò ab ἀσέβειας & ἀχαριστίας probatæ crimine liberat, sed & contra evincit, præ hujus fuga docuisse, etiam id, quod Deo offerendum esset, in parentum usum convertere. Qua ratione plus coluissent parentes, quam Deum, quem defraussent potius, ei que debita in parentum utilitatem collocassent.

§. 13. A cæteris omnibus longissimè abit Sepulveda p. 130. operum edit. Colon. qui Ebraismorum studio deceptus insolentem adinvenit explicationem. Quippe Dicere patri vel matri est ipsi maledicere patri vel matri. Moses dixerat: Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Negabant id Pharisei, contraque assererant, si quis maledixerit patri vel matri, eum posse veniam consequi, si donum, intercedente sacerdote, obtulerit in templo. Juvat ipsam audire. Si dixerit quispiam patri &c. Si dixerit in patrem &c. quod est ex sermone Ebraeo, Maledixerit. Conf. Psalm. LXX. Dixerunt mihi inimici, i. e. maledixerunt. Ut hac sit pars prior legis v. 10. cit. & cum eadem idem: cuius partem posteriorem, Morte moriatur, corruerunt Pharisei, substituendo, Corban ex me &c. i. e. Quodcumque donum, me Sacerdote intercessore, in templo obtuleris, tibi proderit, ut veniam contemptus consequaris. Ita ut Pharisei avari, legis supplicio, munere sibi dato, satisfieri interpretati sint, & pravis filiis uberiorem contemnendi ansam dederint. Hæc Sepulveda. Quomodo ex quolibet quodlibet licet efficere, ex albo nigrum, & ex nigro album. Ait dicere in aliquem, esse per Ebraismum, Maledicere alicui. Ast non legitur in Textu græco, Qui dixerit in patrem, sed patri. Probat verò suum Ebraismum ex Psalm. LXX. 10. ubi hæc verba: וְכִי אָמְרוּ אֹיְבֵי לִי וְשֹׁמְרֵי נַפְשִׁי נִוְעָצוּ יַחְדָּם Vulgat. Quia dixerunt inimici mei mihi; & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt

fecerunt in unum. Verum h. in loco  $\text{לִי}$  non est *mibi*, sed *de me* ver-  
tendum. Ita enim communiter  $\text{לִי}$  cum verbo  $\text{מָרַר}$  usurpatum.  
Gen. XX. 13.  $\text{לִי אָחִי הַזֶּה}$  dic de me, frater meus est. Exod.  
XIV. 3.  $\text{וַיֹּאמֶר פַּרְעֹה לְבָנָיו וְיִשְׂרָאֵלִים}$ , & dixit Pharaon de filiis Is-  
rael. Et in Psalmo quidem mox sequuntur verba inimicorum per-  
mimesin vers. 11. *Dicentes, Deus dereliquit eam. Persequimini &*  
*comprehendite eum, quia non est, qui eripiat.* Jocularis deinde ar-  
gumentatio est:  $\text{לִי מָרַר}$  est maledicere; Ergo etiam  $\text{ἐπιτίθει}$  *lvi.*  
Atque Jesus eodem Marci cap. vers. 27.  $\text{ἐπιτίθει αὐτῇ}$ , mulieri Syrophœ-  
nissæ: Sine prius saturari filios. Num ergo maledixit? Quod si  
Marcus vers. 11. Hellenificè scripsit, (uti appellari consuevit lingua il-  
la, quæ ex ejusmodi conflata est Ebraïsmis,) cur nunc mutat idioma,  
& græcè loquitur?

## CAP. II.

*Vera verborum textus distinctio. Κοῦβαν, δῶρον. Qui se sa-  
cro devovebant ministerio, Corban dicti apud Josephum. Non  
iidem οἱ κοῦβαν & Nazarei. Baronius rejicitur. Joh.  
XVI. 2. exponitur. Syrus Interpres. Κοῦβανος gazophy-  
lacium sacrum. Expositio de Dieu. Ellipsis verbi substan-  
tivi. Εὐαν & αὐν quid? Verba passiva saepe regunt accusati-  
vum sui activi. Votorum duo genera. Votum rei sacrae.  
An verba textus sint voti formula? Affirmantes adducun-  
tur. Honor quid hic significet? Objectio Petiti. Eidem re-  
spondetur. Masius primus observavit, voti formulam con-  
tineri in hoc loco. Cappellus ad votum Interdicti refert.  
Ejus rationes. Tres quasi species voti Interdicti. Fami-  
liare fuit Judais, ut non voto tantum, sed & jurejurando se  
obstringerent, ne huic aut illi benefacerent. Testimonia E-  
braorum, & Philonis, qui non votum, sed juramentum vo-  
cat. Josephus quoque meminit juramenti κοῦβαν dicti, a-  
pud Tyrios prohibiti. Quem malè exposuit Heinsius. Idem  
nec verba Christi benè declarat. Laudatur Salmasius &  
Grotius. Vera hujus loci sententia exponitur.*

B 3

S. I. Quæ

verò 3. 1.

**Q**uid alii senserint ac hoc loco, abunde expositum est. Restat, ut quid nobis de eo videatur, quamque interpretationem censeamus verissimam, & textui græco convenientem, nunc explicemus. Singula sunt expendenda vocabula, & formula ipsa ritè est interpungenda. Nullum verò ponendum comma post εμῶν, sed post δῶρον solummodò: cætera cohærent h. m. Κορβᾶν, (ὁ Ἰησ., δῶρον) ὁ εἰὼν ἐξ εμῶν ὡφεληθῆς. Sive ut Matth. Δῶρον, ὁ εἰὼν ἐξ εμῶν ὡφεληθῆς. Habemus consentientes editionem Complutensem atque Plantinianam, aliosque Interpretes haud vulgares. Cæterum facile erit animadvertere, quæ Christi fuerit hoc loco mens, quidve Pharisæis tribuerit.

§. 2. כֶּרֶבּ est *appropinquavit*, in Hiphil *appropinquare fecit* vel *jussit, obtulit*. Unde כֶּרֶבּ, *oblatio, sacrificium, quod offertur, munus, quod Deo datur & consecratur*. Josephus lib. 1. contra Ap-  
pion. Δηλοῖ δὲ ὡς ἂν εἴποι τις ἐκ τῆς τῶν ἑβραίων μεταρμηνευό-  
μενης Διαλέκτου, Δῶρον θεῷ. *Significat autem, si quis Ebraum inter-  
pretetur, Donum Dei*. Atque hinc est, quod veterum quidam hunc  
Evangelistæ locum citantes, non δῶρον nudè ponant, sed δῶρον τῷ  
θεῷ, sicuti notavit Camerarius ex Epiphani. ad h. l. & Hugo Grotius.  
Ideoque apud Marcum atque Matthæum δῶρον de eo accipiendum  
munere est, quod Deo sacratur; quemadmodum & cap. V. 23. Matth.  
eandem vocem usurpari videmus. Ἐὰν γὰρ προσφέρῃς τὸ δῶρόν σου.  
Syrus כֶּרֶבּ קֶרֶבּ. Sed & qui sacro se devovebant ministerio, *Korban*  
se appellabant, docente Josepho lib. 4. Antiquit. c. 4. Ὅσοι ἂν αὐ-  
τῶν καθιερωσιν, ὕχην πεποιημένοι, Ναζαρηῖοι καλεῖσθαι, κομῶν-  
τες, καὶ οἶνον ἢ πρῶτον φερόμενοι, τῶν ὅταν τὰς τρίχας ἱερῶν, Ἰη-  
σοῦσα τὰ δεῶσι τὰς χερσὶς, νέμεσθαι (δικαίον) πρὸς τὰς ἱερέας. Καὶ  
οἱ κορβᾶν αὐτῶν ὀνομάζοντες τῷ θεῷ, δῶρον δὲ τὸ σημαίνει καὶ  
ἑλλήνων γλώτῃ βελομένους, ἀφίεσθαι τῆς λειτουργίας, τοῖς ἱερῶσι  
καταβάλλειν ἀργύριον, γινῶσκοντες μὲν τεράκοντα σίκλους, ἀνδρῶν δὲ  
πεντήκοντα. Ὅσοι δὲ ἐιδεέσθαι τῶν ὀρισμένων ἔχουσι χημῶντων,  
τοῖς ἱερῶσι ἐξείναι πρὸς τῶν, ὡς βέλοισι, δοκιμάσαι, id est, *Qui  
ex voto se consecrant, Nazaraei dicti, capillum alentes, & vinum non  
gustantes, cum capillum consecrant, (fas est) victimas eorum sacerdo-  
tibus cedere. Item, qui Corban seipsos nominant, (significat vox jux-*



ta linguam Hellenistarum, donum De elint à ministerio, ad quod se ultrò obligaverunt, dimitti, sacerdotibus pecuniam numerare, mulierem triginta siclos, virum quinquaginta. Qui verò tantam pecuniam non hauberint, hos Sacerdotum arbitrio relinquendos. E quibus verbis malè intellectis collegit Baronius ad Ann. Chr. LIII. num. XXXV. eosdem esse Nazaraos, & τῆς Corban, apud Dilherrum Tom. II. disp. p. 42. Caput, inquit, tondere, & sic votum solvere, erat Nazaraorum, de quibus scribitur in libro Numeror. Sed cur id non factum est Hierosolymis in templo? Ille fortasse accidit casus, quo ibidem illicò caput tondendum esset; cum coram Nazareo aliquis moretur. Qui sic erant Nazaraei, voto obligati, nominabant seipsos Corban, h. e. Dei donum, ut Josephus affirmat, quod sic seipsos Deo dicassent. Sed λαλρεγία τῶν ἱερέων Nazaraeis non incumbibat. Nec Nazaraei votum pecuniâ poterant redimere.

§. 3. Syri dicunt קורבני, quo nomine λαλρεγία redditur Johann. XVI. 2. qui eam fore impietatem scelestorum hominum post mortem Domini affirmat, ut qui aliquem ex sanctis diro sit maectaturus supplicio, gratum Deo acceptumque exhibere se cultum existimaturus sit. In græco est προσφέρειν λαλρεγίαν. Vulgatus habet obsequium, Beza cum Erasmo cultum. Est enim Synecdoche generis pro specie. λαλρεγεῖν significat colere Deum, sive id fiat sacrificiis, sive modo alio. Observat autem Celeberr. Heinsius, hodie num asseverare Judæos, non esse ei poenitentiâ opus, qui Christianum interfecerit, eamque transgressionem esse כתיביו קרבן, tanquam si quis Corban obtulisset. Confer. omnino Amplisf. Dn. Præses dissert. de Distinct. λαλρεγίας δαλ. & ὑπερδραλείας c. 1. §. 9. 10. Per Synecdochē & Gazophylacium sacrum κορβαν̄ sive κορβανᾶς appellatum Matth. XXVII. 6. ex re contenta. Grotius ad Luc. XXI. p. 298. Sed Clariss. de Dieu existimat, κορβανᾶν non tam significare ארון arcam vel cistam, in qua sacer thesaurus asservatur, quod Syrus & Arabs voluerunt, quam ipsum thesaurum. Etsi enim, scribit, propriè donum solummodo significet singulariter, collectivè tamen etiam usurpatum pro thesauro sacro ex multorum donis collecto. Comment. ad Matth. l. c. Atque sic Josephus de bell. Jud. l. 2. c. 8. Est apud eos thesaurus sacer, quem Corban dicunt. Svidas: Κορβανᾶς, ὅτι Ἰσραηλίοις ὁ ἱερεὺς Ἰουδαίος. Itaque & Phavorinus.

§. 4. Omis-

§. 4. Omissum est in formula nostra verbum substan-  
 tivum sive in Indicativo  $\epsilon\sigma\tau\iota$ , sive in Imperativo  $\epsilon\sigma\tau\omega$ . Quo de Hugo  
 Grotius: *Ad alteram vocem*  $\text{קָרַב}$  *quod attinet, solet ea apud Ebraeos,*  
*ut*  $\text{קָרַב}$ , *quoties sola ponitur, includere vim verbi Substantivi.*  
*Quare*  $\text{קָרַב}$  *valet, קָרַב  $\epsilon\sigma\tau\omega$ , *id est, Deo dicatum esto.* Beza  
 vertit, *Donum est.*  $\text{εἰς}$  *idem valet ac*  $\text{αὐ}$ ,  $\text{δυνήκων μόνον}$ , parti-  
 cula potentialis, observante Pasore in Lex. Et frequentissimè poni  
 solet post  $\text{ὅς}$ ,  $\text{ὅσθι}$ ,  $\text{ὅπου}$ , aliaque relativæ notationis. Veluti  
 passim in Libris N. T. videre est. Conf. etiam Grot. ad Matth. VII.  
 p. 162.  $\text{ὅς εἰς}$ ,  $\text{ὅ εἰς}$ , *quicumque, quodcumque.* Proinde  $\text{τὸ ὠφε-}$   
 $\text{ληθῆς}$ , *potentialiter accipiendum, & reddi potest, juvari possis.*  $\text{ἐξ}$   
 $\text{ἐμοῦ}$  *idem atque*  $\text{ἐμῶν}$ , *cujus exempla alia eum sacra, tum profana*  
*adduximus supra.* E quibus non difficile erit verba græca Latine  
 vertere, nimirum, *Corban, (id est, donum) est vel esto, quocumq; à me*  
*juvari possis.* Bona mea, è quibus tu à me juvari possis, sunt Cor-  
 ban, Deo consecrata sunt. Non licet ergo Tibi iisdem ad tuam uti  
 sustentationem. Syntaxeos rationem in superioribus attigimus.  
 Scilicet verba passiva sæpe regunt accusativum sui activi. Hero-  
 dian.  $\text{νυκτερινὰ φερεθὲν ἐγχειρίζουμαι}$ , *nocturnæ excubiæ mihi*  
*committuntur.* Lucian. de iudicio Dearum,  $\text{ἤτιθέτωμαι τὴν διαί-}$   
 $\text{ταν}$ , *arbitrium mihi permittitur.* Galen.  $\text{πιστεύουμαι τὴν ἰατρικήν}$ ,  
*quemadmodum ad Rom III. 2. de Judæis scribitur, ὅτι ἠπιστεύθησαν τῷ*  
*λόγῳ τῷ Θεῷ, aliisque in locis N. Testam.**

§. 5. Voti fuisse formulam communior hodie sententia est,  
 quam primus observasse creditur doctissimus Masius, in erudito il-  
 lo, quem in Josuæ librum scripsit, Commentario; sicuti notant Jo-  
 hannes Camero in Myrothec. p. 19. & Ludovicus Capellus, diatrib.  
 p. 162. Qui duo quoque Votorum genera recenset, quorum alterum  
 Magistri vocant  $\text{קָרַב נָרַב}$  *votum rei sacræ, quo scilicet aliquid*  
*Deo devovebatur & consecratur ad facta tacte templi, vel ad sacri-*  
*ficia sive oblationes, quæ super altare offerebantur.* Quæ hoc voto  
 erant Deo consecrata, omni homini fuerunt interdicta atque illicita.  
 Atque huc referre videntur formulam nostram, qui reddunt, Do-  
 num est, vel esto, id est, Deo sacrum est, Deo dicatum esto, quo-  
 quocumq; tamen à me juvari possis. Quomodo exponit B. Lyserus  
 Harmon. Evangel. c. 69. fol. 881. *Traditio fuit, ut quisq; ad edificatio-*  
*nem*

nem templi contribueret. Ac paulo post. Sed avaritia Sacerdotum, qui plerique etiam Pharisei & Scribae fuerunt, ita creverat, ut docerent, melius & sanctius esse, Corbandare, vel ad templi structuram aliquid impendere, quam parentibus succurrere. In quam sententiam & Grotius scribit: Quod si is, qui votum tale nuncupasset, postea immutata voluntate largiri aliquid vellet tibi dei, sacerdotes, quorum pars magna erant Pharisei, rem ex voti lege sacro arario vindicabant. Ejus autem ararii obventiones, partim in opera templi, partim in usus pauperum, partim in ipsos Sacerdotes ac Levitas erogabantur. Quo magis credibile est, Phariseos, qui erant Φιλαργεγοι, ut Lucas nos docet XVI. 14. contumaciter adfuisse utilitatibus ararii, contra quorumvis hominum iussa.

§. 6. Ex his manifestum, quæ doctrina Phariseorum fuerit, quos hoc loco Salvator noster redarguit. Cum enim cætera præcepta divina suis traditionibus sic enervarent, ut prorsus tollerent, rationem quoque excogitarunt, quæ mandatum Dei de honorandis parentibus subverterent. Jubebant enim, liberos facultates suas Deo consecrare, ita ut, cum juvandi essent parentes, votum prætenderent oblationis, eoque se excusarent, quasi jam omni pietatis officio ex asse defuncti. Si parentes pressi petebant à liberis alimenta, hoc declinare poterant, dicentes: Korban bona mea, h. e. Deo consecrata sunt, è quibus tu juvari posses. Hoc sacramento devincti, haud ultra tenebantur patri prodesse, & hoc illi honoris habere, ut eum bonis suis egentem sublevarent. Imò religione sacramenti vetabantur hoc facere. Quemadmodum mox sequitur vers. 12. Καὶ οὐκ ἐπιτρέψετε αὐτὸν εἶδέν ποιῆσαι τῷ πατρὶ αὐτοῦ, ἢ μητρὶ αὐτοῦ. Et præterea non permittitis ipsi quicquam facere patri suo, aut matri suæ. Idem planè dicit Matthæus cap. XV. 6. Καὶ ἡ μὴ ἰμῶση τὸν πατέρα αὐτοῦ, ἢ τὴν μητέρα αὐτοῦ, Et non honoraverit patrem suum, aut matrem suam. Quæ hujusmodi voto se obstrinxit, potest in bona conscientia patrem & matrem non honorare; imò tenetur. Ubi honos non reverentiam tantum designat, quæ parentes afficiendi sunt à Liberis, sed etiam commodum & levamen, quod egeni parentes ex natis possunt accipere, ac debent. Quemadmodum ipsi Hebræi interpretantur, interque illos Salomon Jarchi,

chi, & quidem ex mente Veterum: *Quinam est timor seu reveren-  
tia heic filii? non sedeat in loco patris, non loquatur in loco ejus, nec  
verbis ejus contradicat. Et qualisnam heic honor exhibendus? pra-  
beat parentibus cibum ac potum, & vestimenta, calceos induat, in-  
troducatur atq; educatur. Ita quoque Hierocles: Γονέας τιμήσομεν  
ὑπερβαλλόντως, σώματα ὑπηρεσίαν καὶ χημάτων χορηγίαν  
αὐτοῖς ὑπέχοντες, ὅτι μάλιστα προσμυστήτην, Parentes eximie  
honorabimus, si & corporis ministerium, & pecuniae adminiculum  
ipsis prestemus quam promptissimè.*

§. 7. Cum his consentiunt Veteres doctores. Hierony-  
mus Comment. *Præceperat, ait, Dominus, vel imbecillitates, vel  
ætates, vel penurias parentum considerans, ut filii honorarent, etiam  
in vitæ necessariis ministrandis, parentes suos. Hanc providentissi-  
mam Dei legem volentes scribae & Pharisei subvertere, ut impieta-  
tem sub nomine pietatis inducerent; docuerunt pessimos filios, ut si  
quis ea, quæ parentibus offerenda sunt, Deo votare voluerit, qui ve-  
rus est pater; oblatio Domini præponatur parentum muneribus, vel  
certè ipsi parentes, quæ Deo consecrata cernebant, ne sacrilegii cri-  
men incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur. Atque  
ita fiebat, ut oblatio liberorum sub occasione templi & Dei in sacer-  
dotum lucra cederet. Non abit ab his Theophylactus: ἐδίδασκον  
γὰρ τὰς παῖδας μηδὲν δίδοναι τοῖς γονεῦσιν, ἀλλ' ἀναλίσθηναι, ὅσα  
ἔχουσιν, τῷ γαζοφυλακίῳ τῆς ἱερῆς. ἦν γὰρ ἐν τῷ ἱερῷ θυσιαρχὸς, ἐν ᾧ  
βυλόμενον ἔβαλεν. ἐκαλεῖτο δὲ τὸ γάζα. ὁ δὲ θυσιαρχὸς τοῖς  
πένησι διεδίδοτο. οἱ τοίνυν Φαρισαῖοι πείθοιτες τὰς παῖδας, μηδὲν  
διδόναι τοῖς γονεῦσιν, ἀλλ' ἀναλίσθηναι αὐτὰ τῷ θυσιαρχῷ τῆς ἱερῆς, ἐδί-  
δασκον αὐτὰς λέγειν, ὅτι δῶρον ἴσθι, τυχέσθιν, ἀνατεθειμένον τῷ θεῷ  
ἴσθιν, ὦ πατέρ, ὁ ζητεῖς ἐξ ἐμοῦ ὠφελῆθηναι, καὶ ἔτι εὐμερίζον αὐτοῖς,  
καὶ τῶν παίδων τὰ χρήματα, καὶ οἱ γονεῖς καταλιμπανούτο ἀγνηώ-  
μητοι. ἐπίσθιν δὲ τὸ καὶ οἱ δανεισταί. εἰ γὰρ τις ἐδάνεισέ τι χρη-  
ματα, εἴτα δύσκολον ὁ χρεώσης ἔσθι, καὶ ὅσα ἀπεδίδῃ τὸ ὀφειλόμε-  
νον, ἔλεγε γὰρ ὁ δανειστὴς πρὸς τὸν ἀγνώμονα χρεώσθην. Κορβαῖν  
ἴσθιν ὁ ὀφείλεις μοι. Τυχέσθιν, δῶρον τῷ θεῷ ἀνατεθειμένον. ὁ γὰρ χρε-  
ώσης ὡς τῷ θεῷ ἔσθι τὸ ὀφείλων, καὶ ἀκωνκατέβαλε. τὸ δὲ ἐδίδασκον τὰς  
παῖδας οἱ Φαρισαῖοι ποιεῖν. i. e. Docebant enim liberos, nihil pa-  
rentibus subministrare, sed quaecumq; haberent, gazophylacio templi conse-*

consecrare. Erat namq; in templo thesaurus, in quem, qui vellet, injiceret. Vocabatur autem Gāza. Thesaurus verò pauperibus dabatur. Pharisei igitur liberis persuadebant, ut nihil in parentes impenderent; sed thesauro templi consecrarent: docebant eos dicere, quia donum est: hoc est, o pater, Deo consecratum est, quod petis, ut eo tibi succurram. Atq; ita ipsi una cum liberis bona abalienabant, & parentes in senectute incurati linquebantur. Idem faciebant creditores. Si quis enim alteri mutuò dedisset pecuniam, postea verò debitor morosus ac difficilis esset, nec, quod debebat, restitueret; dicebat creditor ingrato ejusmodi debitori: Corban est, quod mihi debes: hoc est, donum Deo consecratum. Debitor igitur quasi ex eo tempore Deo obligatus vel invitus solvebat. Hoc liberos docebant Pharisei. Quod de debitoribus addit, idem observatum ab Origene, uti notat Grotius, atq; Hieronymo, cum scribit: Hæc Phariseorum traditio de alia veniebat occasione. Multi habentes obligatos ere alieno, & nolentes sibi creditum reddere, delegabant Sacerdotibus, ut exacta pecunia ministeriis templi & eorum usibus deserviret. Quæ docent nos, non falsum fuisse illum de bonorum suorum consecratione prætextum, ceu putabat Chrysostomus, sed tenebantur exsolvere, quæ consecraverant semel. Ita verò Chrysost. homil. 52. in Matth. Si quis parens, scribit, à filio ovem flagitaret, aut vitulum, aut hujusmodi aliquid, præmonitus à scribis & Phariseis filius respondebat: Quod à me in utilitatem tuam pater petis, dono jam Deo promissum est, ac ideò dare non possum. Ita dupliciter peccabant. Nam neq; Deo offerebant, & parentes oblationis nomine deridebant.

§. 8. Non potuit probari hæc interpretatio Clariss. Viro Samueli Petito variar. lection. l. i. c. 14. eam enim repugnare vult legibus Judæorum *נאן עגו דגדוֹתֵי*. Quoniam nullâ, ut ait ipse, se poterant exceptione tueri, quin alendi essent Parentes. Cogebantur enim inviti. Hæc enim est regula juris Judæorum: *כּוּפִין אֲנִי הֵבֵן לְזוֹן אֲתֵּיכֶם*. Cogitur filius alere parentem. Igitur è Josephi loco, de obligatis ad sacra ministeria *Korban* dictis, atq; eorum occupationibus & vacationibus, traditionem de honore, parentibus minuendo damnatam à Christo explicare conatur. Ipsum sequitur Celeberr. Dilherrus loc. alleg. & hunc sensum è

verbis illis eruit: Κορβαν, id est, ego, o parens, devovi me τῆ λειψε-  
για τῶν ἰσραήλ. Itaq; bis me adesse oportet. ὅ ἐάν ἐξ ἐμῶ ὠφελῆθῃς,  
id est, Si verò inde aliquid temporis fortè potuero detrabere, tibi  
ἔγωγ, adero, & te juvabo. Verum nec verba admittunt hanc ex-  
plicationem, & prætereà illa quæ mox sequuntur, sensum hunc re-  
fellunt. Nihil enim omnino boni facere licebat parentibus post  
emissum votum, ceu docet versus sequens. Ideo nec poterat fi-  
lius operam suam promittere patri, si quàm maximè etiam vaca-  
ret à ministerio sacro. Ad rationem allatam respondemus verbis  
doctissimi Seldeni: At verò ad scenopegiarum observationem, phy-  
lacteriorum, aliorum, cogebatur isidem, qui præcepto esset inobse-  
quens. Quod tamen intelligendum, ubi ex voto precedente res ipsa  
non haberetur voventi illicita. Nam tantùm tunc aberat, ut cogere-  
rent, ut nec contra votum quid præstari permetterent.

§. 9. Clariss. Cappellus, quamvis laudet Masium, ut qui pri-  
mus observaverit verba ista: Δῶρον &c. esse formulam voti, apud  
Judæos usitatisimam, in eo tamen deceptum ait, quod putet voce  
Corban voventem significasse, se Deo consecrare & devovere id  
omne, quo utilis esse poterat vel proximo, vel parentibus, cum id  
tamen eà voce minimè significatum velint Talmudici illi Magistri,  
à quibus est hæc formula. Atque in hanc sententiam inductum  
eum scribit à Syro Interprete, qui formulam illam sic reddidit:  
קורבני דתהנני מני, Donum meum est id omne, quo juvari pos-  
sis à me, h. e. Deo illud dono & consecro. Ipse verò Capellus sic  
vertit, Corban esto, quodcunque &c. id est, Esto mihi sicut est Cor-  
ban, nempe illicitum & prohibitum. Idemq; probat ex Misna §. 4.  
האומר קרבן עוללה מנחה חטאת תורה שלמים  
שני אוכל לך אסור ר' יחזירה מתור קרבן כקרבן קרבן  
:אסור: Quæ verba sic ipse interpretatur: Qui di-  
cit (proximo suo,) שאני אוכל לך (atque ita de aliis quinque  
sequentibus vocibus, nempe עוללה מנחה חטאת &c. quæ sunt sci-  
licet significationis cum קרבן τῶ affinis) is tenetur voto obstrictus.  
R. tamen juda eum solutum pronunciat. Vox autem קרבן (in hu-  
jus voti conceptione) idem est ac si dictum esset כקרבן, (hoc est,  
quum quis dicit, Hoc vel illud esto mihi Corban, idem est ac si dixis-  
set, Esto mihi sicut Corban, id est, tam mihi sit vetita, ac Corban)

Item:

Item qui dicit: קרבן שאוכלי לך, *Corban esto id omne, quo ego te cibare possem, (vel quod ego tecum comedam)* is tenetur obstrictus voto. Deinde idem formulam hanc ad alterum Voti genus, quod נדר איסור *votum interdicti* vocant Ebræorum Magistri, refert, quo aliquis interdicebatur usu rei cujuscunque alioquin ex felicitæ.

§. 10. Hujus tres veluti species commemorat. Nam primò aliquis interdum hoc voto interdicebat sibi usum rei cujuscunque (pro arbitrio suo) idque vel in genere vel in specie, absolute vel sub conditione, ad tempus vel in perpetuum: ut exempli gratia, poterat aliquis vovere, se nunquam gustaturum carnem, vel lac aut caseum, aut pisces, vel oleum, aut se nunquam bibiturum vinum, vel se non induturum vestem laneam, vel lineam & alia ejusmodi sexcenta; aut se ab illis abstenturum ad hoc vel illud tempus, hoc vel illo loco, sub hac vel illa conditione. Secundo interdicebat sibi usu rei non suæ, quæque proximi esset, Petri puta vel Pauli, ut si quis vovisset, se nolle ullâ in re beneficium accipere, aut utilitatem vel commodum ullum percipere, ab hoc vel illo singulari homine, vel ab hoc aut illo cœtu hominum, puta ab incolis hujus vel illius oppidi, aut hujus vel illius regni, regionis vel provinciæ, neque se velle utifrui re ulla, quæ ipsorum sit. Tertio interdicebat quis hoc voto alteri usum rei suæ, (hoc est) vovebat, se rem suam, (equum puta, vel vestem,) huic vel illi homini nolle commodare, atque utendum dare, se quicquid ad victum pertinet aut facit quomodocunque, nolle ei præbere aut subministrare. Hæc postrema species, ad quam referenda doctrina Pharisæica, his disertis verbis concipiebatur: קרבן שאני אוכלי לך *Corban esto illud, quo ego te cibare possem,* Item קרבן שאני נתנה לך *Corban esto id omne, quo ego tibi possem esse utilis.* Vel uti Coccejus Excerpt. Gemar. Sanhed. cap. VII. p. 272. קרבן כלי ממי שתהנה ממני. Confer & Grotius de Jure pæ. & bell. l. 2. c. 13. n. 7. p. 245. & Observat, ad Matth. XV.

§. 11. Impium profectò votum, utpote charitati in proximum repugnans, planèque adversum, Judæis tamen familiarissimum, ceu multa docent exempla, variæque formulæ, quæ occurrunt in Misna toto illo tractatu Nedarim, tam proximi in proximum,

num, quam Viri in uxorem, uxorisque in virum, & liberorum in  
 parentes, horumque in illos; quæ videri possunt apud Cappell. loc.  
 alleg. Add. Constantin. L' Empereur in Baba Kama c. 9. §. 10. p. 257.  
 De liberorum respectu parentum votis, sive potius Diris & execra-  
 tionibus, sic scribitur Codice Nedarim c. XI. §. 4. referente Coc-  
 cejo: **אָן אַ פֿאָטער פֿון אַ זון און אַ טאָכטער פֿון אַ זון**, quæ verba  
 sic explicat Maimonides in Commentario: *Quod quicquid para-  
 vero, ex illo non comedet pater meus quicquam, id est, quod utilita-  
 tem inde non percipiet.* Et R. Nissim. *Quodcumq; paro, esto patri  
 meo velut sacra oblatio.* Qui sic vovet, non potest irritum facere hoc  
 votum. Et in Caph Nachath: *Sacrum erit, quicquid paravero in  
 futurum, quantum ad os patris.* Sensus est, juxta Coccejum: uti  
 sacra re, ita bonis meis interdictum esto. Idem ex Philone disci-  
 mus de specialibus legibus, cujus hæc sunt verba: *Εἰσὶ δὲ οἱ τιμω-  
 ροὶ ἀεικτοὶ ἢ ἀκοινωνήτοι διὰ τὴν ἐπιβολὴν μισανθρωπίας γεγονό-  
 τες, ἢ καὶ τὴν ὀργὴν οἷα χαλεπῆς δεσπόνας ἐκβιασθέντες, ὅρα  
 τὴν ἀγριότητα πισθῆναι τῶν ἡθῶν, οἷνες δὲ φασὶν ὁμοῦ ἀπέζον, ἢ  
 ὁμοῦ ἔξιν τὸν δαίνα, ἢ πάλιν τῷ δαίνα μὴ ἐξέειν ὡθέλειαι τι-  
 να, ἢ παρ' ἐκείνης ἀλάλησεν καὶ μέγιστον τὴν ἐπιβολῆς. Sunt quidam adeo  
 duro atq; insociabili ingenio, sive odio humani generis, sive dura do-  
 mina iracundiâ subacti, ut morum feritatem jurejurando obfirmant,  
 ut ne hunc habeant mensæ aut lecti socium, ne illi benè unquam faci-  
 ant, ne quid ab eo ad mortem usq; accipiunt.* Ὁρκον sive juramen-  
 tum vocat, quod alii votum dicunt. Quemadmodum & Tyrii, cum  
 vetarent τῆς ξενικῆς ὀρκῆς, speciatim nominarunt τὸν καλὸν ὄρκον  
 ὄρκον Κορβαῖν, auctore Theophrasto libro de legibus apud Joseph.  
 l. II. contra Appion. qui hæc annotavit: *Ἦν δὲ καὶ πόλεις σὺν ἀγνω-  
 στον ἡμῶν πάλαι τὸ ἔθνος, καὶ πολλὰ τῶν ἡθῶν εἰς τινὰς ἡδὴ διεπε-  
 φοιτήκει, καὶ ζήλησ παρ' ἐνίοις ἤξειτο. Δηλοὶ δὲ ἰ Θεόφραστος ἐν τῷ  
 περὶ νόμων λέγει γδ, ὅτι κωλύουσιν οἱ Τυρίων νόμοι ξενικῆς ὀρκῆς  
 ὁμνύειν. ἐν οἷς μὲν τινῶν ἄλλων καὶ τὸν καλὸν ὄρκον Κορβαῖν κα-  
 τὰ τὴν ἀρχαίαν. Παρ' ἑδὲν δὲ ἀνὰ τὸν ὄρκον πλεὺ μόνον Ἰσραηλίοις.  
 Erat autem nec per singulas civitates olim ignota gens nostra, quin ἔ-  
 mores multi ad quosdam jam transferunt, qui ἔσ ἀμulatione dignὴ  
 quibusdam habebantur. Quod in libris de legibus Theophrastus no-  
 tat, qui ait, ne quis peregrinus utatur juramentis, Tyriorum vetare le-  
 ges. Inter quæ, cum aliis quibusdam etiam juramentum, quod Corban  
 appel-*



appellatur, enumerat; quod apud solos invenitur Judæos. Quæ verba cum retulisset in Exercitationibus suis *lib. I. c. II. p. 54.* Criticus Sacer, dicit, peculiare apud Tyrios fuisse juramentum, Corban nominatum, quod Judæis deberent illi. Quod prorsus contra Josephi mentem est. Non enim ille notat, Tyrios habuisse hoc juramentum, sed lege potius vetuisse, ne quisquam Tyriorum peregrino uteretur Sacramento, quale illud Judæorum fuit.

§. 12. Haud melius Evangelistæ mentem assecutus est in cæteris, quæ ibi observavit Criticus. Cum nihil Deo esset gratius, ait, quam liberalitas eorum, qui sua Deo consecrarent, & in gazophylacium sive corbonam, aliquid conjicerent, erant inter illos, qui ex Magistrorum suavis plurima vel consecrarent summo numini vel largirentur, ut ex iis nihil ipsis, nihil superesset proximis. Itaque si quando subsidium parentes peterent, operamque liberos rogarent, respondebant, quod hic dicitur. Δῶ εἶμι &c. Unde enim si Deo dedissent omnia, sibi boni aliquid facere potuissent? Sed plurima tantum bona ab illis Deo consecrata ac donata dicit, non omnia. Annon verò ex illis residuis, quæ non consecraverant, poterant & patrem, & quoscunque alios vellent juvare? Quæ religio eos impediabat sumere ex illis, quæ summo numini non devovissent, ad largiendum parenti? Itaque alii sic explicant mentem, quod, qui volebant officia charitatis atque honoris parentibus præstare, hac se juramenti religione obstrinxerint, ut donum Deo pronunciarent, quicquid illud foret, quo patri subsidium ferre possent. Nam patris tantum & matris respectu, non aliorum, hoc Sacramento se obligabant, & propter illos quidem, sed sub conditione, si animum induerent eos juvandi; quæ sunt verba Celeberr. Salmasii de Trapezit. foen. p. 225. Idemque ostendunt verba sacramenti supra alleg. è R. Nissim. כִּי מִן שֵׁנִי עוֹשֵׂה לְפִי אָבִי כְּקוֹנִי i. e. quodcumque ego paro, erit respectu patris mei, velut sacra oblatio. Ergo aliorum respectu non erit. E quibus colligit idem, Sacramentum hoc potius fuisse, h. e. ἕρκος, quam votum. Nam voto bona consecrari revera solebant, at Sacramento ita demum consecrabantur, si contra legem, quam quis sibi ipsi dixerat, veniret, ut essent consecrata, si id committeret. Grotius quoque non nudum fuisse votum affirmat, sed complecti religionem juramenti. comment. ad Matth. p. 279. & lib. II. de Jur. B. & P. p. 245. 246. Et Clariss. Seldenus fatetur, magnam esse voti ac sacramenti cognationem.

§. 13. Qvi-

§. 13. Quibus propositis, in proclivi erit veram hujus loci dare interpretationem, ac germanum sensum. Formula ipsa quamvis perfecta sit & integra, nihilominus oratio Christi est defectiva, quam Beza supplevit verbis ἀνάλλω & ἕσται, infons erit. Dixit Moses, *Honora patrem &c.* Sed vos dicitis: *Si quis dixerit patri vel matri, Veluti Corban, id est, res Deo sacra & dedicata, quam nemini fas est in usum suum convertere, mihi sit, quocumque à me juvari possis, innocens erit, culpa vacabit, præcepto de honorandis parentibus satisfaciet.* Licet enim Pharisei non probaverint adeò fortassis, si quis ira vel odio percitus ejusmodi se obstringeret voto, maximè, si filius contra parentes eo se obligasset, docebant tamen, ubi quis animi fervore abreptus votum illud semel emisisset, & hanc voti formulâ se obstrinxisset, non licere amplius ipsi parentibus benefacere, ne ratione hâc violati voti reus fiat, quod à lege severè interdicitur, quæ strictè jubet vota Deo nuncupata exsolvi. Cui probando adferunt Num. XXX. 3. *Vir cum vo- verit votum Domino, aut jurejurando se obstrinxerit, ut aliquo interd- eto sese obliget, non profanabit, h. e. irritum faciet, verbum suum; sed quicquid emisit ex ore suo, id faciet.* Sed non animadvertiebant mi- feri homines, obligationem omnem ex jure eò, quod nobis compe- tat, debere proficisci: quare materiam obligationis esse non posse id omne, quod antè ademptum sit nostræ libertati, ut est, parentes non honorare. Lex verò, quæ vota & juramenta servari vult, intelligenda haud dubiè est de votis ac juramentis legitimis, hoc est, quibus id vo- vetur, aut juratur, quod honestum, & in voventis & jurantis potesta- te est. Quare hoc casu lex illa objici non potest: debet verò valere lex altera, quæ pietatem in parentes præcipit. Concilium Gangrense can. XVI. εἰ τίνα τέκνα γονέων, μάλιστα πατρῶν, ἀναχωρήσιν ἀπὸ τῆς θεοσεβείας, καὶ μὴ τιτῶν καὶ θήνησασιν τιτῶν τοῖς γονεῦσιν ἀπονέμοι, ἀπει- τιμωμένης δηλονότι παρ' αὐτοῖς τῆς θεοσεβείας, ἀνάθεμα ἔστω. Ad quem Dn. D. Lucas Osiander hæc notat: Hic canon in postremâ par- te paulò obscurior est De re ipsa tamen satis constat, eos videlicet damnari, qui sub prætextu cultus divini deserunt suos parentes: nec illis officia debita (ratione quarti præcepti,) præstant. Hoc in Papatu millies, (per Monachismum) factum est.

Nos hîc finimus, & Deo agimus gratias.

Θ Ε Ω Δ Ο Ξ Α.

n  
s  
e  
m  
e  
s  
n-  
o-  
i-  
d  
on  
Ha  
o-  
a-  
re  
se  
od  
eg-  
Ad  
ar-  
cet  
ec

05 A 1672

**ULB Halle** 3  
003 779 084  


Vona

61.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Farbkarte #13 B.I.G. Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

48.  
PHILOGICA  
com. XI.  
ὁ εἰς ἐμῶν ὠφελῆθη.  
M. F.  
ensium Academia,  
SIDE  
RO  
Excellentissimo  
N.  
STOLBERGIO,  
essore Publico longè  
rimo,  
Patrono suo colendisimo,  
P.  
r / Gustavo - Meck-  
gicus,  
T O R.  
. antem. M. DC. LXIX.  
. Majori.  
\*\*\*\*\*  
BERGÆ,  
AELIS Wendt.